ORATIO

IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

A CAJETANO LUCARELLI

PHYSIOLOGIÆ HUMANÆ PROFESSORE

H A B I T A

IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO

IV KALENDAS FEBRUARII A. D. MDCCCXXXVIII.

NEAPOLI,

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI CUOMO.

1838.

Singulari Dei O. M. beneficio, Eminentissime Princeps, Praesul Illustrissime, Sapientissimi Professores, Auditores Ornatissimi, depulso teterrimo ac indomito illo morbo, qui anno superiore huic Civitati ingruit; novus hic annus bonorum omnium votis exoptatus illuxit. Hoc enim Studium, quod antea Auditorum, ac Professorum vocibus personabat, mutum pene ac desertum conspiciebatur: nunc demum tanto hominum plausu adolescentibus patet, ut consueta studiorum curricula rursus ingredi possint. Nihil igitur laetius, nihil optabilius contingere potuit, dum intermissam consuetudinem renovare, eis datum sit. Quamobrem optimo jure frequens haec Litteratissimorum Hominum indicta celebritas est non solum ad illius tristissimi temporis memoriam avertendam, sed etiam ad exacuendos juvenum animos, ut alacrius in litteras scientiasque se ab-

dant. At cogitanti mihi quo in argumento mea oratio versari posset, nihil commodius occurrebat quam praeclarissima illorum exempla, qui tum Patriam tum Disciplinas tantopere decorarunt, illustrarunt, extulerunt. Natura enim ita comparatum est, ut Superiorum exempla animo reputantes posteri et voluptate simul afficiantur, et aemulatione permoveantur. Hinc apud Romanos laudabilis mos suscepit, ut in conviviis Majorum res feliciter gestae carminibus celebrarentur, quibus ad ea imitanda juventus alacrior efficeretur. Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, per quos Res Romana ita aucta fuit, ut Universo Orbi imperaret. Hinc imagines Majorum in atriis nobilium dispositae; hinc clarorum Virorum monumenta publicitus immortalitati consecrata, signa dedicata, pictae tabulae, solemnesque laudationes. Haec enim non tam praemia Majorum virtutis, quam ad eos aemulandos stimuli posteris admoti. Si igitur magnam vim habent ad inflammandos animos illustria exempla, cum hic nobis anniversarius dies, Superiorum sapientia et auctoritate ad intermissa studia de integro repetenda constitutus sit, muneri mihi demandato me satisfacturum arbitror si pro virili parte conten-

dam eos, qui doctrina post renatas litteras in hoc Regno excelluerunt, imitandos proponere. Haec mecum reputans, eo quidem spectavi, ut per quos Viros apud nos aucta litterarum scientiarumque gloria fuerit, per eosdem ad capessenda studia juventus excitetur. Neque mihi in animo fuit, res nimia vetustate obrutas persequi; clariora potioraque exponere satius duxi. Quibus de rebus dicens hanc ornatissimorum Virorum coronam, quam ex ore meo pendentem video, demulcere ac delinire conabor. Quod cum facio, adolescentes studiosi, quod iter ad veram gloriam ferat, me monstrante, cognoscetis. Attente ut me audiatis, ne orandos quidem esse vos puto: frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa de qua dicere ingredior, conciliaverit.

Etsi in dubium revocari non possit, Litteras Doctrinasque per solos Italos e barbarie fluctibus emersisse, tamen absque temeritatis nota asserere mihi animus est, apud nos vel nunquam fuisse penitus intermortuas, vel ante alias gentes ad vitam fuisse revocatas. Et re quidem vera nemo ibit inficias, Dantem Aligherium, Franciscum Petrarcam, et Joannem Boccacium primos fuisse, qui ceteris Europeis facem in litteris praetulerunt,

ideoque tanquam litteratorum hominum antesignanos habendos esse. At hi duo ultimi cum litteras graecas edoceri vellent; dum in Italia ne unum quidem, qui tantorum virorum desiderio satisfaceret, invenire potuissent, Leontius Pilatus et Barlaamus, uterque Calaber, eos edocuerunt. Immo Boccacius, ut earumdem graecarum litterarum studium inter Hetruscos promoveretur, Cathedram Florentiae Leontio assignandam curavit. Multos alios in humanioribus litteris praeclaros Viros hoc Regnum tum tulisse vel ex eo perspici potest, quod Franciscus Petrarca prae ceteris Italiae viris Robertum Regem, Joannem Barilium Campanum, et Marcum Barbatum Sulmonensem, ut de suo ingenio, et suis operibus judicium ferrent, elegerit. Quis non videt, hos vere litterarum gloria florere si ille summus Vates tanti eos fecerit? Neque ii solum litteras graecas calluerunt, sed permulti iisdem sedulam operam navando magnum nomen sunt assecuti. Nemo sane ante Nicolaum de Rhegio Galeni libros tam accurate latinos reddidit, ut eum vel Exteri Scriptores summis laudibus prosequi non dubitaverint. Neque defuerunt, qui historias gnaviter scribere adgressi sunt, inter quos Matthaeus

Spinelli primus vulgari sermone res gestas per sua tempora digessit, ut nemini dubium sit, non Ricordanum Malaspina, non Dinum Compagni, non alium Italum ante nostrum chronographum exstitisse, quidquid contra obganniat Bettinellius.

Pari modo Litteris et Philosophiae operam dederunt ipsi Principes; ideoque si Petrarchae et Posterorum laudes inter Reges Andegavos Robertus meruit, nemo inter medii aevi Reges tot habuit laudatores, quot Alfonsus Aragonensis. Pius Secundus Pontifex Maximus, Antonius Panormita, aliique bene multi eum ut in scientiis praestantissimum laudibus extulerunt. Litteras eodem sunt amore prosecuti ejus Filii Ferdinandus Primus et praesertim Federicus Secundus, Princeps Sapiens, Musis et Musarum cultoribus amicus. Ea tempestate merito gloriari potuit haec Civitas, praeclaros floruisse jurisperitos Paridem de Puteo, Barbazzam, Aurelium, Afflictum, inter quos et in Cathedra, et in foro emicuit Michael Riccius, qui primos et Neapoli et Parisiis Magistratus honores occupavit.

Medicinam, Philosophiam, Mathesin Viri praestantiores quam antheac excoluerunt, ideo-

que hinc prodierunt Joannes de Aquila, qui primum Pisis, postea Patavii medicinam, et Nicolaus Verna in Patavino quoque Studio Physicen publice tradiderunt. Per ea vero tempora inter summos philosophos Antonius de Ferrariis, Galatei nomine notus, non solum a rerum nostrarum scriptoribus, sed etiam ab alienigenis merito recensetur. Is enim graecis latinisque litteris ad miraculum excultis, in Medicina, Astronomia, Poesi tanto pollebat ingenio, ut Petri Summontii, Jacobi Sannazzarii, et Joviani Pontani existimationem sibi conciliaverit. Ejus impulsu Physicas Disciplinas, quae tenebris obrutae fere jacebant, eo progressas esse fatendum, ut novae inducendae philosophandi rationi quodammodo prolusisse videri possit. Quare non ita leves tota Litteraria Respublica gratias habere debet ei, qui acer investigator earum rerum, quae a natura involutae sunt, e servitute Philosophiam vindicare sategit. Pauci illius aetatis Viri ingenii laude insignes cum eo viam straverunt Portae, Telesio, Borellio, Galileo, Newtono; et sic apud nos prima affulsit Philosophiae aurora, dum aliis gentibus tenebrae offundebantur. Veritas fateri cogit, sunt Tiraboschi verba, ad caliginem illorum temporum dis-

sipandam, Regno Neapolitano primos nos debere conatus. Haec qui consideret neque inconsulte, neque temere a tanto Viro dicta esse arbitrabitur. Nam Ataldus in hac Studiorum Universitate Philosophiam illustravit; Joannes Baptista de Capua Patavium concessit, quo ipsum, ut Astronomiam in frequentissimo illius civitatis Gymnasio traderet, Veneti acciverant; et Marianus Bitontinus in Euclidis libros, et Theodosii geometriam sphaericam commentarios adjunxit. Hieronymus vero Tagliavia in easdem disciplinas tanto animi ardore incubuit, ut sententiam de mobilitate Terrae apud Pithagoreos incolas nostros primum natam atque altam multis ferme seculis obliteratam et ex hominum memoria pene deletam, ab oblivione atque silentio vindicaverit, plurima secum animo agitando, et nonnulla scribendo; sed illius tandem fato praerepti adversaria in manus Copernici pervenerunt. At si haec tanti momenti non videantur ad praeripiendam palmam Copernico, tamen satis superque demonstrant, Virum illum Calabrum inter primos illius aetatis astronomos habendum esse.

Plures alii Viri etiam eo tempore ingenio praestiterunt, sed prae omnibus Jovianus Ponta-

nus (*), et Jacobus Sannazzarius amicitia, et cognatione studiorum conjunctissimi, hominum admiratione donec politiores litterae in deliciis erunt, afficientur. Horum primus ille fuit, qui in Poesi multiplici adeo excelluit, ut velut Jupiter, Genitores latinae poeseos (lyricam excipio) de regno solioque dimovere conetur haud omnino temerario, insanoque conatu. Siquidem in Hendecasillabis non raro vincit Catullum; in Tumulis plures poetas, omnes in Naeniis. Alterum, Sannazzarium, latinae ita aluerunt Camaenae, ut, in lucem edito de Partu Virginis Poemate, jure ac merito Maroni proximus fuerit reputatus.

Dum humaniores litterae interea temporis enixe excolebantur, ingeniosissimi Viri neque animos sustulerant, neque Philosophi Stagiritae, neque Averroes jugum excusserant; attamen ad Graecorum Latinorumque Scriptorum leporem ac venustatem educati, verborum elegantia jam viam seculo disciplinarum, quae sine illis digne enun-

(*) Fas sit civitate neapolitana donare tantum Virum, qui a prima adolescentia ex Umbria Neapolim venit, ubi praeclarorum munerum dignitate insignitus vitam ad summam senectutem perduxit, et supremum diem explevit.

tiari non potuissent, straverunt. Equidem Bernardinus Telesius quasi divinitus nostrae patriae concessus, qui praevalido mentis conatu physica Peripateticorum dogmata convellere ausus, summa ejus aetatis ingenia cunctis fere in orbis gymnasiis concitavit, et sic regnum aristotelicum non tam diuturnitate temporis, quam superstitiosa hominum inscitia confirmatum caepit evertere, habens ob oculos, veritatem erui debere non ex hominum commentis, sed ex ipsa rerum natura.

Hujus Philosophi exemplo excitus Jordanus Brunus Nolanus Scientias tanta ingenii acie complexus est, ut illustrium Philosophorum saeculi decimi septimi, et decimi octavi maxima pars ex ejus operibus permulta abstulerit. Vorticum cartesianorum systema: dubitationem de omnibus rebus: atomos Cartesii: optimismum Leibnitzii: systema astronomicum secundum neotericorum mentem, ab illo derivata et Bayleus et Brukherus contendunt. Quare nec pudet nec piget cum Daniele Huetio illum appellare doctrinae cartesianae *antesignanum*; et certe quidem asserere possumus, nullum per ea tempora exstitisse Philosophum, et bonarum artium gnarum, qui dexterius ex opinionum tyrannide se extricare au-

deret, et suis doctrinis uberem materiam pararet Cartesio, Gassendo, Leibnitzio. Sed indignamur si ii ipsi Philosophi ad propria systemata fingenda vel ornanda ex eo fonte hauserint, et de Bruno ne verbum quidem dixerint.

Verum si Nolani nomen oblivioni dederunt, id ipsum de Joanne Baptista Porta praestare non potuerunt. Hic enim famam et existimationem apud seros nepotes possidebit, etiamsi post eum exstiterint, qui Scientias ad praesentem perfectionis gradum perduxerunt. Illius ingenium ad quaevis arcana rerum investiganda ita a Natura erat comparatum, ut, ne tertium quidem lustrum aetatis excesserat, suum de Magia Naturali opus in lucem emiserit, in quo naturae ipsius in suis latebris deprehendendae viam inivisse videtur. Inter multa diligenter observata, praeclare animadversa, et gloriose inventa, opticus tubus quem primus omnium protulisse perhibetur Jacobus Metius Batavus, multo ante a Joanne Baptista Porta fuit indicatus. Physica ei debet novem libros de refractione, optices parte, in quibus leges refractionis lucis declarat, quae accedit vel recedit a perpendiculari linea secundum medii densitatem vel raritatem; neque praeterit reflexionis

leges in speculis concavis; ad trutinam revocat iridem et colores, cum primus fuerit, qui prismate in varias radiorum refractiones inquireret. Si Newtono comparari non potest in enodanda colorum theoria, hunc procul dubio longa annorum intercapedine praecessit, et quidem eo tempore, quo Aristotilis ideae reviviscebant. Si litteraria Italorum historia nullum aliud praeberet argumentum, ut satis palam fieret quanto in honore Physicae ac Mathematicae Disciplinae haberentur et in Italia, et in nostris Regionibus; solus Joannes Baptista Porta ad eluendam omnem criminationem, qua inepte Lampillas in Italos usus est, sufficeret. Nam hunc audacter asserere non puduit, in Italiae Gymnasiis ad initia seculi decimi septimi Arithmeticae, atque Geometriae veterem inscitiam perdurasse. Proh Dii immortales! quaenam non vulgaris geometria necesse non fuerat Auctori de refractione lucis, de elementis curvilineis? Statices, Catoptrices, Idraulices restauratori? At si ad exprobrandum tantum mendacium id non sufficiat, inter tot astronomos qui eo tempore hic floruerunt, prodeat Aloysius Lilio, cui Kalendarium, quod Ecclesia acceptum habuit a prima Nicaeensi Synodo, reformare ac

corrigere datum erat, dum in eandem rem perperam saeculi decimi sexti omnes astronomi insudaverant. Et sic ab ultima Calabria expectandus erat vir, qui Pontificis Maximi, Gregorii XIII propositum assequeretur.

Exorto tandem, post humaniores litteras, Philosophiae lumine, par erat, ut hac omnes Scientiae collustrarentur. Idcirco Philosophi Stagiritae imperium si adhuc in Gallos, Germanos, Hispanos dominabatur, Itali et praesertim Neapolitani jam jam ex eo desciverant; ac si Galenus tamquam in re medica Princeps multos numerabat sectatores, diligentius divini Senis Coi opera perlustrabantur, quia nunquam utriusque linguae studium apud nos fuerat intermissum: Arabum tricae spernabantur; exactius eruditiusque de medicina libri exarabantur; Naturalis Historia diligentiores habuit cultores. Altomaris, Marantae, Imperati nomen oblivione nunquam delebitur; at per Fabium Colonna haec Civitas justam sumet superbiam. Hic enim de generibus plantarum instituendis foliorum effigiem parvi fecit, sed ex flore seminisque conceptaculo et ipso potius semine plantarum affinitatem dijudicavit, et sic viam stravit Thurnefortio, qui ingenue fassus est,

legitimam constituendorum generum rationem Columnae tribui debere.

Non minori studio ad anatomen animum adjunxerunt illius aetatis praecellentes ingenio viri, ut Prosectoribus saeculi decimi quinti praestiterint, et etiam nunc apud nos admirationem obtinuerint. Tot et tanta primus et solus sterili aevo deprehendit Eustachius, ut nonnulli ex ejus multarum observationum una vel altera magnum postea sibi nomen pepererint. Riolanus, Malpighius, Valsnerius, Lancisius, Morgagnius eum summis laudibus efferre non destiterunt; et certe jucunda laus fuit, a tantis viris, qui ipsi in laude vixerunt, profecta. Ex accurata anatomes cognitione fieri non poterat, quin nostrates in chirurgia magnos facerent progressus. Alfonsus Ferro, qui tanta inclaruit fama apud Italos, ut honore Medici Aulici Pauli Tertii Pontificis M. auctus Romam concesserit, nemine praeeunte opus de *Sclopetorum,* sive *Archibusorum vulneribus* seculo decimo sesto publici juris fecit; ex cujus lectione etiam nostri aevi chirurgos maximum fructum capere, celebris Portallius suasor et auctor est.

Brevi quoque apud cultioris Europae chirur-

gos in magnam claritudinem pervenit Marianus Sanctus Barolitanus ob suos de lapide renum, et de vesicae lapide excidendo praestantissimos libros a nemine ante illum neque meditatos neque cogitatos. Et non solum monumentis litterarum, sed etiam per manus ars extrahendi e vesica urinaria lapidis in nostros chirurgos migrasse videtur adeo, ut in tota Europa vel celeberrimis Professoribus in hac praecipue chirurgiae parte secundi reputandi non sint. Utinam et in seculo decimo sesto saevissima pestis, terribiles terraemotus, aspera bella, quominus vis ingenii magis magisque exsereretur non obstitissent; mihi facile persuadeo non aliunde quam e nostris regionibus Galileum, Kleperum, Newtonum ortum habere potuisse.

Non minorem compararunt sibi laudem in conscribenda historia Camillus Pellegrinus, Camillus Portius, Caesar Baronius, et Angelus Costantius, cui contigit adolescentiam agere dum Sannazzarii, Aquavivae, Altilii, Seripandi fama ubique gentium percrebuerat. In maxima celebritate quoque, et in oculis civium vixerunt nostri juris periti. Francisci ab Andrea magniloquentia post longum annorum intervallum ex hominum memoria adhuc non

effluxit ; ipse eruditionem , et interpretandarum legum veram rationem in nostrum Forum intulit: et Consiliarius Joseph de Rosa, et Dominicus Aulisius, et Petrus Jannonius satis superque Curiae et Cathedrae ornamento fuerunt. Quantus vero honos in nostram Patriam redundaverit ex Jano Vincentio Gravina ne unum quidem dari posse puto , qui id non cognoscat. Ejus libri de originibus juris civilis tanta eruditione , doctrina , sententiarum pondere , atque elegantia abundant, ut ii soli aeternitatem, immortalitatemque et Regno et Auctori comparare potuissent. Quibus maximum accessit ornamentum a libro de Romano Imperio , in quo tanta inest doctrina , ut docti omnes dicerent , Gravinam originum libris ceteros omnes superasse , qui juris civilis ortum tractarunt ; scripto vero de Imperio Romano libro ipsum a se se superatum.

Quid vero de Poesi Latina, quid de Etrusca dicam ? Coriolanum Martiranum, Antonium Epicurum , Antonium Telesium , Aloysium Tansillum , Angelum Costantium , Berardinum Rotam, Parthenium Giannettasium ita Musae adamarunt, ut multa pars eorum libitinam vitaverit. Inter tot Vates quis mihi se se objicit, cujus fulgor perstrinxit oculos ? Tu solus, Torquate, quem nun-

quam nervi, animique, divesque vena defecit, tu solus et Seculo et Regno aeternum dare nomen sufficiebas. Salve, Surrentine Vates, quem supra alios multa levat aura, invidiaque major, laurea donatus Apollinari, inter Homerum et Maronem recumbens purpureo bibe ore nectar.

Novum quoque inauditumque honorem proficisci video in Etruscas Musas a Caprio Maddaloni Pagi Sancti Clementis apud Casertas. Hic enim paucis post annis a Torquato epicum poema, *la Generazione Umana liberata*, in lucem emisit, neque inconcinnum neque invenustum, ex quo multa Miltonius in suum Paradisum transtulit, excerpsit, verbum verbo reddidit.

Quantum vero Medicina, Chirurgia, Anatome, ceteraeque facultates ad rem medicam pertinentes debeant clarissimis nostris Viris, facile perspici potest sive utilitatem et praestantiam contemplemur doctrinarum, in quas incubuerunt; sive praeclara opera et inventa, quibus illas locupletarunt; sive varietatem eruditionis quibus floruerunt. Luce meridiana clariora certe sunt, quae a Borellio, bono scientiarum excogitata, et prolata sunt. Hic priusquam immortale ac omnino novum de motu animalium opus appareret,

ei aliis operibus, quae universam de motu doctrinam bono in lumine collocarent, viam sternendam curavit. Quare vulgato libro *de vi percussionis*, cui quidem magnopere plausum fuit, alium et edidit *de motionibus a gravitate pendentibus*, de quo homines docti judicia honorificentissima fecerunt, quod ea traderet, quae nemo ante Borellium attigerat. Quam vero magnifica, ac prorsus singularia illa quae Bellinius, flumen orationis aureum fundens, praedicavit de rebus in libro *de motu animalium* contentis? In Gallia homo doctrina praestans, cathedram excitandam testamento jussit, e qua quis hoc opus ex auctoritate publica edoceret. Illi ipsi, qui in eo nonnulla notarunt errata, unum tamen mirantur Borellium, unum dicunt in multis erroris ac inscitiae tenebris, quibus obducta erat animalium fabrica, clarissimum lumen praetulisse; primum Mechanicam ac Geometriam ad Medicinam adduxisse, neque ingenio suo singulari alium secutum praeceptorem quam se ipsum; et Medicum, ex Boerhaavii sententia, qui lumine tanti et prorsus incomparabilis operis carere voluerit, illum necesse esse in tenebris degere. Hoc monumentum, absit verbo invidia, aere perennius a Borellio

exactum, eum merito inter Galileum, Kleperum Newtonum collocat.

Quis vero inter nos ignorat, Lucam Tozzi, excitata de se fama in edocenda publice, et facienda Medicina apud nos, Romae Medicinae Praxeos Professorem, et Pontificis Maximi Innocentii XII Medicum fuisse renunciatum, et post hujus obitum a Carolo Secundo in Hispanias accitum? Quem nostrum fugit, Lucam Antonium Porzio, nemine alio duce, primum opus scripsisse de militis in castris sanitate tuenda? Quis est Europae tam inaccessus locus, quo non pervaserit Marci Auselii Severini fama, in cujus operibus, Portallio adserente, plura abstulerunt Peyerus, Gràafius, et Lieutaudius, suique juris fecerunt? Ipse, ipse primas lineas Anatomes generalis et comparatae tradidit in aureo eo libro qui Zootomia Democritea inscribitur. Quae et quanta nova dixit de respiratione piscium? Quid accuratius vel utilius excogitari potest libro de recondita abscessuum natura, quem non sine fructu nocturna, diurnaque manu versant vel expertissimi Chirurgiae Professores? Quem philosophum latet, Thomam Cornelium Consentinum, virum plane eruditum, nec vulgaribus tantum, sed interioribus et re-

conditis litteris perpolitum, multa tum observando, tum meditando percepisse, quae ad cognoscendam, perspiciendamque naturam hominis valde videntur conducere? Quis nescit, illum veram philosophandi libertatem promovisse, invitis etiam Stagiritae Philosophi asseclis; ipsum vere fuisse irritabilitatis inventorem, ideoque potiori jure *Cornelianam*, quam *Hallerianam* dici debere? Quot, quantaque continet inventa ejus progimnasma de nutricatione, quae ante Reaumurium, Spallanzanium, Hunterum, institutis ab eo observationibus in veritatis lucem prolata sunt, et quae perperam nova putantur? Cuinam notus non est Nicolaus Cyrillo, quo solo recreabatur haec Civitas, si Thomae Cornelii, Leonardi a Capua, et Lucae Antonii Portii jactura facta erat?

Sed quid exempla tantorum Virorum, qui ante Regnum immortale Caroli Tertii ingenii laude floruerunt referam, cum recentium, ut ita dicam, copia suppetat? Haec, haec Patria quam multos litterarum scientiarumque gloria excellentes, sub Regibus de Borbonia Stirpe huic feliciter Regnantibus protulit! quos omnes si enumerare velim, dies me deficiet. Nam et Joannem Baptistam Vicum novos in scientia nova thesauros, sed

intactos adhuc Philosophis omnibus exhibuisse, comperimus; et summos fuisse juris peritos Nicolaum Capassum, Josephum Cyrillum, Josephum Aurelium de Gennaro, Saverium Mattei. Quid illud miraculum totius Europae litterariae Alexium Symmachum Mazochium nominem? Quid illa medicinae ornamenta Nicolaum Froncillum, Franciscum Seraum, Dominicum Cyrillum, Dominicum Cotunnium, Michaelem Sarconium, Nicolaum Andriam, Antonium Semmentinium proferam? Quid Matthaeum Ægyptium, Jacobum Martorellium, Paschalem Carcanum, Nicolaum Ignarram, penitioris antiquitatis amatores dicam? Quid illa Philosophiae, et AEconomiae Politicae columina Antonium Genuensem, Cajetanum Filangerium, Marium Paganum? Quid Xaverium Poli, Vincentium Petagna, Michaelem Troja, Carolum Majelli, Josephum Simioli, Nicolaum Ciampitti, aliosque pene innumeros, quorum singuli nobilissimarum disciplinarum cognitione consummatissimi ad famam immortalem conciliandam singulis civitatibus sufficerent? Neminem certe vel levissima rerum nostrarum scientia imbutum fugit, nullo non seculo et politiorum litterarum, et omnium gravissimarum doctrinarum Auctores maximos non defuisse.

Haec cum ita sint quomodo vos non extimulem juvenes, Majorum nostrorum exemplis propositis? Quomodo vobis ignaviam non exprobrem, si eos aemulari viriliter non contendatis? Si Thucidites cum adhuc adolescens Herodoti historiam audiret, illacrimasse perhibetur eo quod ad eam gloriam, quo ille pervenerat, vehementer cuperet et ipsemet pervenire; si Themistocles olim somnum capere adolescens non posse dicitur, quia Miltiadis trophaeo excitabatur; quomodo plumbeos vos non appellem, si nullis aemulationis stimulis exciteмini, atque accendamini? Quid turpius quid ignominiosius vobis opprobrari potest si pro ingenii vestri praestantia tantam gloriam non aemulemini? Sed jam jam majores nostros hic exaudire mihi videor increpantes. Quousque, adolescentes a nobis ortos esse gloriamini dum et nominis et Patriae estis obliti? Quid profuit, tantam illustrium exemplorum segetem a nobis fuisse relictam? Cur turpi hac vitae mollitie, quae corrupto aevo veluti pestilens lues tam late serpit, generosam indolem vestram corrumpi sinitis? Nonne pudet vos ad gloriae fastigium ascendendi virtute esse praeditos, et per ignaviam nolle? Non sic pro-

fecto adolescentiam nostram exegimus, dum otium malorum omnium radicem aversati, laborem alacriter amplexabamur? Vos vero vitiis obrutos intuemur laborem omnem refugere, litteras fastidire, vel extimo tantummodo earum cortice contentos esse. Proh pudor! inversique mores! Siccine Neapolitanam Juventutem a studio ad libidinem, a litteris ad nugas, a sapientia ad stultitiam esse traductam? Siccine tam prorsus frontem prostituistis, ut infamiae metu aliquo non velliccmini? Aut igitur inertiam hanc abjicite, aut nostri vocitari desinite.

Si ad hunc modum cum ignavis adolescentibus conqueri videntur Majores nostri, ne committite quot quot adestis juvenes, ut salutares eorum voces aures vestras praetervolent, inque auras evanescant. Illorum exemplo magnos animos ad litteras scientiasque colendas concipite. Neque putetis a Majoribus vestris gloriosissimis quidquam ad vos gloriae proficisci posse; nisi in eorum imitatione versemini. Stultum namque est, Majorum opinione niti, et in eorum gloria conquiescere, perinde quasi possit quisquam a labore alienus magno a majoribus labore adeptam gloriam sibi ipsi vindicare. Quin immo existimate, vobis ab

eorum vestigiis abeuntibus probro fore maximo ac dedecori. Quid enim illis ortos esse juvat, nisi tales vos exhibeatis, quales, qui illis orti sunt, esse deceat?

Ite domum, adolescentes studiosi, nuntiate Parentibus vestris, vos tot et tantorum Virorum gloria excitatos in hanc sanctissimam legem jurasse, toto pectore in studia incumbendo, neque famae Majoribus nostris partae, neque vobis, neque publicae spei defuturos. Dixi.